

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertatio De Pverorum Liberaliter Institutendorum
Ratione Multiplici ... D. XI. Ivn. M D CCLXXVII. ...**


**Wildenhayn, Johann Wilhelm
Biedermann, Johann Gottfried**


Lipsiae, 1777

urn:nbn:de:bsz:31-95022



XII C. 23





16.

DISSERTATIO
DE
PVERORVM LIBERALITER
INSTITVENDORVM RATIONE
MVLTIPlici,

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

D. XI. IVN. CIOIO CCLXXVII. 1777

VIRORVM DOCTISSIMORVM EXAMINI

COMMENDATA

A

M. IOANNE GVH. WILDENHAYN,

LANGENHEN. MISN.

MEDICINAE BACCALAVREO,

RESPONDENTE


IOANNE GODOFREDO BIDERMANN,

FRIB. MISN.

S. S. THEOL. CVLT.

LIPSIAE,

- EX OFFICINA LANGENHEMIA.





DE PVERORVM LIBERALITER
INSTITVENDORVM RATIONE
MVLTIPLICI.



Etsi nomine quamvis amplissimo dignissimoque scripti-
unculae simul immodestiae maculam atque culpam *Conatum*
antea verebar infigi: rei tamen natura diutius *excusatio.*
considerata, de me iuvene noui sperari quidem nihil,
atque materia disceptandi sola posci hic loci videbatur. Inuen-
tionem igitur viarum ad humanitatis hoc officium faciliorem aut
praestantiorum imperitiae temeritas meae subire nequaquam est
ausa. Si vero cogitationes, dubitationes animaduersionesque
super consiliis virorum doctissimorum et institutis sapientissimis
vtilissimisque non reticuerim meas: impulerunt sane crescendi,
per emendationem et reprehensionem a proceribus mecum publi-
ce communicatam, cupiditas, feruor, auiditasque non superanda,
ne disciplinae neglectum vberissima dolerem olim. Contempla-
tione demum hacce concitato mihi tempus, priusquam senten-
tiarum mearum iudicium felicissimo beneuolum contingeret, vel
breuissimum cunctari visum est, ita, vt de elaborationis festina-
tione sermonisque tenuitate timerem metueremque nec quic-
quam, quod retineret, quo minus studiorum meorum reddere de-
berem

berem rationem. Errorum enim confessione erudiri, quam, infantia mendisque dissimulatis, mihi aliisque detrimento esse imposterum malui. Nam vitiorum, si qua laus, palam factorum, est putanda, sane in utilitate, quam ex admonitionibus ipsisque poenis obseruamus, ad hominis naturam et mores redundare, cernitur: virtutis ergo, siquidem, occulta ipsis cultoribus aliisque hominibus, laetior vegetiorque procrefcit, indoles, ab illorum peruerfitate, haec etiam differt. Cuius vero, quum in me praeter studium defideriumque vehementiffima, nihil non defiderarem: adicum, qui, morem proceribus et ritui gerendo, paratur, vt libello fatis exiguo hocce quaererem, nec religione sum repulfus vlla.

*Cur de
puerorum
inftitutio-
ne dicere
finaufus?*

Nonne, ficuti naturae legibus, ita fortis etiam et aetatis conditionisque reliquae rationibus obfequi decet et oportet quosque? Nifi itaque feculi noftri liberorum educationi pecuniae liberaliter impensae, curae, ftudia, institutiones atque indefeffae follicitudinis documenta priuatim et publice vbiuis facrata, homini - quod turpe cuius facile videretur dictu - displicent omnino: neminem, qui hac de re studium dicendi, innocuum faltim, in me vituperet, nec venia virorum fummorum indulgentiaque, quam pietas implorat mea humaniffime, dignum aliqua iudicet, vereor fore. Cum hominis nempe cuiusuis animum, rei vtiliffimae generi fuo toti fuauitate eo excitari magis, quo arduo labore superetur via tortuofior, fenfui quisque fuo, vel me fidente, credat: ne fortaffis, de iniuriae mihi futurae fufpicionem metuque, per explicationem confilii excufationemque mei, apud procerum aequitatem, patientiam, indulgentiamque verbosior offendam, cauere pietatis poftulant iura. Quodfi igitur, ad tennellorum ingeniorum explorationem, puer admodum, propenfione quadam innata quafi inuitatus animum aduerterim lubenter; nullaque re grauiori aliis mihi que viuus inferuire optarem poffe, quam perpetua confuetudine, cum hac orbis terrarum fpe, prudenter lufibus praecepta temperandi et diftinguendi: quo demum de meditationum iuuenilium veritate certior fierem, easdem hodie praeceptorum deuenerandiffimorum caftigationi, ex loco hoc beneuole mihi concefso, cultu et obfequio, quibus decet religiofiffimis, cupio commendatiffimas effe. Quis enim in re momentanti

tanti errorum vel umbram, quos suspicari possit, animo sustineat aequo atque tranquillo? Accedit etiam, nisi commemoratione inferius plurimis omni videtur, me, si obuenerint, quae emolumento futura forsan muneri huic arriderent, arripuisse auide et accumulasse qualemcunque apparatus, qui scribendi necessitate hac urgente promptus appareret.

Breuitate autem uti, tam temporis, quo scribere coactus sum, et plagularum angustia suadent, mihi quae praeterea scriptores, ex quorum docilis fonte hauserim, clarissimi, meisque laudibus superiores facilius reddunt. Quia enim lectorum iudiciumque patientiae abusu non parcam, tantum abest impudentia ipsa mea inexpiabilis, ut indice virorum, qui melius scripserint eadem, libelli volumen augeam, et splendorem, ut, cum recenseri non aliorum a me, sed ab aliis meas velim opiniones reprehendi, et experimenta, si qua dici merentur, mea, mentem, quasi in rem nostram, legesque, quibus uti facilius posse mihi videatur, publice modo profitear ita, ut non negem, spoliis aliorum locum a me putari hunc indignum eo magis et ineptum utilitati amplae eorum, quo nostra aetate, ni doceat ipse, quisque cum felicitatis illis humanitatisque praeceptoribus praestantissimis amicus aut per literas, aut per muneris coniunctionem versetur, et manibus animoque libri voluantur illorum elegantissimi ubique lubentius. Officii igitur pietatisque duxi, vitari a me iactantiae indicium id, quo putare viderer nomina, quorum studium coaeui venerantur maxime, maioris vero posteritas aestimabit, tironis approbatione et scriptiuncula, qua inclarescant, egere. Conscripsi tantum, quae corporibus puerorum animisque formandis visa fuerint optima, ita, ut primum generaliora quaedam momenta, deinde lusus, utilitatis commendatione quadam placentes, consiliis, admonitionibusque sapientissimis submitterem nonnullos.

Hominum quidem omnium ingenia vel tarditate vel velocitate, vel stupiditate vel intelligentia inter se distare apud omnes diu constat; indeque vel assidua vel inconstantia litteris incumbere, vel certis, vel aliis aliisque delectari, atque artium amore taedioque repellere vel impelli; eodem vero modo singulorum facultates gradu differre, quo sint agiliores vel somnolentiores, negligentiores vel curiosiores. Cum igitur, hos excitari vel moderari, illos

Ratio rerum dicendarum.

Ingeniorum diuersitas.

illos subleuari vel exerceri debere, experientia quotidiana luculentissime et obseruatione vel leuissima pateat: de imperitia indolis in discipulis variae, quae reipublicae praeceptor noceat, ceteroquin doctissimus, necesse sit, argumentationum loquaci farragine superfedere posse quemque non dubito.

Quid inde? Quae cum ita sint, tironesque demum vix duo modo eodem recte incitari, temperari, allici, aut dirigi intelligamus: regularum in educatione institutioneque valde coërceri imperium, mihi quidem videtur; neque tot libellos totidemque pericula apud nos prodire et suscipi, quorum singula cunquae praeceptis et viis vtantur nouis iisque contrariis plane et prorsus singularibus, dolere cum viris conor nonnullis. Quum enim natura ingeniorum adeo discrepat: disciplina etiam iure, vt puto, suo non vna omnibus conducatur, et de eadem experimenta obseruationesque variatae sint necesse est.

Disciplinae formulas ingenii accommodamus. Saepius, fateor, vt tironis incitiae nunquam non accidit, querelas me eorum non satis intellexisse, qui homines coelo, parentibus, institutione, consuetudine vsq; iisdem, quae putabantur, optimis, non tamen omnes moribus euasisse probatos mirarentur? Quippe cum, in formula disciplinae eadem nimisque generali, diuersitatis atque ipsius pernicietis, quam, cum illis deploratam, admirari coecitas sustinuit mea nunquam, causa et occasio saltim latere possit satis efficax et larga. Velim igitur vt sint, qui hanc rem me docere non fastidiant! Nisi enim in obseruationibus quotidianis superius explicatis errauerim: mihi regulis in educationis cura dulcissima vniuersalior nulla apparuit ea, quae rationi animorum naturam modulis adstringendi contrariam praeciperet legem. Quis scilicet ignem simul aquamque directurus ambobus vel temperandis vallum opponere ligneum vel augendis riuulos fontesque deriuare, si tentaret, amice atque seruo non reprehenderetur? Et nonnunquam puerorum disciplinae commissorum eidem discrepantia non lenior in oculos incurrit nostros. Anne meridionalium et septentrionalium regionum incolis cibi, medicina, forma, dixerim, sacrorum illa externa, conueniunt omnibus eadem? Vix opiner. Concessit vero singulis sane regionibus ad felicitatem suam confirmandam propria bona et mala semper prouidentia diuina et sapientia: quam, cum autrix rerum hu-

ma-

manarum et diuinarum omnium vbiuis virtutis se normam et vim obtulerit benigna, nonne in prole gentis humanae liberalius informanda utique imitari debemus? Eius enim lex vniuersalis, quae videtur, naturam omnem, quousque ferre possit, beandi, non minus apti, varie modificata, quam homini congruit intelligenti.

Præterea vero seruitii eiusmodi minus circumspecti regulæque vni adstricti noxam, tot hominum perditorum miseria, et, vbi ad se demum redierint, confessiones confirmant testimoniis exemplisque illustrant. Nec minus quotidianum videre est molestias, quibus tam morositas, beneuola quidem, ast non satis prudenter prodita, quam proteruia puerilis illa innocua, vel discipulorum vel ludimagistrorum affligatur istorum. In scholis præferunt rusticis, lege hac docendi auita, ingenia, quae, si aptius tractentur, patria possit fulcra atque decora venerari, non pauca pestundantur. Etsi enim, principis et virorum doctissimorum consensu, mandatum publicum, disciplinae norma præcepta, memoriam auctorum curaque pro salute patriae summa sanctissimam posteritati nobisque sacrauerit: quo minus consilia illa et instituta optima vbiq̄ue obedientia possit exsequi sincera debitaque, aut numerus puerorum largior, aut de pane lucrando cura inuitabilis, aut inscitia ludimoderatorum inter gentem rusticam nonnullorum seruilis impediunt. Forsan educationi meliori, principum auctoritate virorumque præstantissimorum sapientia, sensim sensimque magis diulgatae impedimenta tam dira sponte cedent! Quid ergo? Erroris huius alias adeo vulgaris incommoda in vulgus trita et vbiq̄ue decantata repetam narrando? Hominum ingenia *summa* eo retardari, nec, quae fieri possint, tanta emergere nec praelucere; *inferiora* nec satis erigi nec inflammari; *infima* plane supprimi et extinguui, nouitatis furo vendam? Quis non rideat hominem, eorundem ingeniorum ex licentia effrenata labem, ut si hostem primus detegisset latentem, omnibus cognitam nouis conuiciis et maledictis execrari? Cuius patientia ferre poterit, querelis tot fastidiosis et plane obsoletis plagulas has resonare? Absint! Vtrum scilicet hortulanum, de plantis mollioribus per caldaria maturandis mitiora, vel de arborum segnitie duriorum ad calorem refocillanda vehementiorem imperitus moneam? An medico peritissimo, ne, vel sanguinis ardori alcali opponere, vel

*Formae
vnius eius-
demque in
animis sin-
gendis at-
que nutri-
endis in-
commoda.*

acidis in contrario malo succorum spissitudinem magis cogere, ad aegri perniciem, audeat, imperem medicalastro loquacior? Neutrum pietas, citra quam nihil lubens ausim, et modestia, si quam in me agnoscere mihi fas est, fieri impune permittunt. Eadem ratione comparata res est cum argumento, quo naturam non expelli asseritur debere. Quis enim negat? Itaque cum omnibus aequae consentio, quamvis natura furcis expulsa usque recurrere dicatur: eandem tamen bonam in peius semel detrusam vix unquam satis emergere rursus posse, malam, si qua iure dici potest, conatu hoc ipso euellendi deteriore redditam latere astutior et occasione demum prima vehementissime exardere. Ecquos enim mecum non taedet recensere: quot imitatores serui hac neglecta obseruatione euaserint? Quot homines in partem vtramque cerei flecti, a virtutis defecerint via, qui educatione aptiori patriae et amicis vtilissimi suauissimique amorem, et animum omnium conciliaissent sibi fautorem?

Variis institutionis viis carere non posse videmur.

Quibus ideo mecum consideratis, dubitare non amplius ausifim, quin in institutione aut corrigenda aut adiuuanda inuentionis, qua viri praecellent sapientissimi, acumen non defatigari deberet unquam; atque viae adhuc excogitatae, caeque innumerae, rei naturae vix ac ne vix quidem sufficerent potius, quam quae superfluae et ingeniosiores iusto essent spernendae. Est sane numerus earum ingens, qui me ab omnium recensione vel singularum quarumvis collectione absterruit plane. Quid enim agendum fuisset? Omnibus vnam, vt optimam, praeferendi, etiam si tiro auctoritate summa non caruerim, iniuriam reformidauim, qua nec inuectores nec indolem hominum affici vellem; omnibusque simul detrectatis, nouam quandam verbosius commendandi, vtrum facultas sola defuerit, an impudentia? me certiores diiudicent. Praesertim cum singulas suis quibusdam ingeniis peculiare, vniuersales vero vix vllas, nullas dicere me fere abstinere non potui, ex mei quidem iudicii tenuitate, putandas reperirem. Vt igitur medicorum est, remedia vel inusitatissima nosse: ita etiam praeceptorum esse vere videtur, cauere, ne, mente et agendi ratione antiquorum pensitatis, vias nouas recentiorumque docendi formulas alto supercilio spernant. Quibus omnibus minus quadrare visis, ad aptiores indagandas, in doctore vis requiritur ingenii

nii acutissimi, et laus inuentionis, si qua aestimatione digna putatur, hic maxime cernitur versari. Verum enim vero, quo cupiditas mea discendi, in rerum vix ab vilo vnquam contradictarum diffusa nimis declamatione, temere ruit?

Si historia generis humani, quantum sacro codice fieri potest teste, lustrata fere totius, in numinis diuini, quod felicitati singulorum aequae prospexerit ac omnium, et confusione animorum integrorum sibi nil placuisse magis vnquam iurauerit, piam admirationem rapimur; si hominum ipsorum vitia, quibus nonnumquam obnoxii essent, nunc ipsa huius vniuersi commodis prouide sapienterque intertexta quasi et iuncta, nunc, euentu suo ad sapientiam veram et beatitudinem aeternam regredi hortata, animo stupemus grato; sique a Deo nos, qui possemus in terris fieri, optimos per leges doctos beneuolas esse, leges inquam ex indole humana quasi euolutas et haustas; si, quod virium superasset nostrarum limites, ante mortem naturarum illarum imbecillitatibus superiorum corporeis sanctitati homines non iuberi pares euadere contemplantur; si nullus, inquam, — et quis vsu rerum diuinarum atque humanarum adeo viuat indignus? — haec omnia venerationis sensu animoque deuoto non spectat: quantum sane in nobis inde studium imitandi prouocetur, demonstrare videtur superuacaneum plane. Verum tamen membrum argumentationis, quum etiam hoc ad rem pertineat, ne intactum relinquerem, officio monitus sum tironis. Putantur vero gentiles mundi huius omnes, vt singuli, ab aetate inde infantili ad puerilem, iuuenilem atque virilem ascendisse. Pro eodemque graduum modulo doctrinas Deus intellectu difficiliore non statim ab initio tradidisse nobis, sed sensim sensimque, virium parcendo penuriae, menti cognitionique finitae videtur inseruisse propitius nostrae. Nam gentium primarum sensus cultu, quem postularet, magis externo corporeoque, nec non promissionibus felicitatis temporariae excitatos animosque sibi conciliauit confisos; quos quidem deinde magis magisque cogitationibus de rebus diuinis sublimioribus assuetos vatum carminibus penitus confirmavit, et spe, vicissitudinibus temporum nullis delenda, impleuit; vsque dum filius illius doctrinis sacris lucem adspargeret clariorem, puriorisque virtutis auctor et dux, vita, morte et resurrectione, salutis fidem aeternae

A disciplina gentis humanae diuina quid pueris erudiendis exempli sumatur?

reuocatam, laetitia ex operibus diuinis haurienda, obedientia, pietate, concordia, misericordia, iustitia, virtutibusque reliquis, superbiae, auaritiae, odio, inuidiae, malitiae, libidinique contrariis, quibus Deus honoretur, vt essent hominum felicitas summa, commendatis stabiliret. Hic demum, quod antea, imaginum involucris, intellectus humani stupiditati accommodatum erat, Deum non odisse, sed felices poenitentia reddi peccatores, coli velle, non timeri; salutis vim inseruisse animis infinitae, insitamque, quousque fieri possit, exercendo augeri; per mala, quae putentur, verae nostrae beatitudini virtutisque exercitationi praestantioris necessaria consuluisse; paterno amore contentionem de vita errorum scelerisque pura iuuare sinceram cuiusuis; morte, vitam, quae sufflaminari timeretur, felicioram solam et finis expertem omnis aperire, vbiuis, vel ipse, vel mortuus per nuncios diulgavit. Neque vero idem omnia ante redemptionem absolutam docuit, sed res obscuriores, inter resurrectionis tempus et id, quo coelum redux fieret, tandem explicauit. Praetereaque doctrinae diuinae illustrationes ex aetatis suae moribus, hominum conditionibus et vitae genere deriuasse semper videtur. Quae dein nostram debilitatem subleuandi cupiditas in saluatore diuino venit admiranda! Ne recordationem et fructum meritorum suorum animis leuitas eripiat humana, sacramento coenae suae virtutem refocillat fidemque! Nec codices tot in mundi mutationibus periisse fuit! Quanta mentis summae in nostram naturam limitibus circumscriptam arduissimis indulgentia! Quantus patris erga filios amor coelestis! Quanta in prosperitatis verae aeterno magistro patientia! Nonne paribus pares, homines suae soboli, praeceptores, breui, quo hoc ipsis munus iucundissimum contingat, tempore sibi commissis liberis indulgentiam maxime proficuum, amorem sapientissimum, patientiam vbiq; propitiam concedendo, ad summi creatoris imitationem anhelare decet? Errauerim, nec ne? His enim rebus notissimis, si quas applicamus puerorum educationi, exemplum sane inesse praestantissimum non primum me puto animaduertere: sed cum idem amplius dicendo persequi, forte non iniuria meum esse duxerim, et omnes postulare a me posse visi sint, beneuole precibus concedatis meis.

Si igitur verum est, quod a nemine facile negatur, nil *diffi-* *Quomodo*
dentia peius discipulis praeceptoribusque, Deo auctore et teste, *diuinæ*
 obesse impedimentum: de consiliis illius vincendae cogitandum *providen-*
 esse inprimis videtur. Et forsan hic prouentus amoris mutui, et *tiae nutui*
 facilitatis prudentioris magis quam morositatis animique, de vera *disciplina-*
 puerorum salute, solliciti, palam discipulis factorum, vberior fo- *obediatur hu-*
 ret. Quis enim a sexenni sexagenarium, vt quemuis saepius vi- *mana?*
 disse poenitet, iure praecipiat agi? Agent quidem metu conui-
 ciorum, quibus aures conuiuiarum et ipsorum verberentur hone-
 stiores, miseri nonnulli tirones: ast educationis eiusmodi ratio
 feruilis, quot simulatorum dolis, quot adulatorum corruptelis,
 quot spei in optimis iuuenibus ponendae fallaciis, viros praestan-
 tissimos ipsamque rempublicam exposuit! Numne Iudaeorum pro
 ceruice dura nulla venia legum mitigauit nonnunquam seuerita-
 tem? Vtrum prima an vltima semper publicae ignominiae, Deo
 iudice, tandem irruit poena? Attendendum igitur esse, ne inge-
 nium in contraria torqueretur, crediderim. Nam easdem propen-
 siones in vitia flecti ad virtutum propinquarem facilitatem posse
 ac debere, nec quisquam ignorat: sed in virtutes contrarias? Ma-
 ris vndas aestuosi vtrum reuoluere conuenit natandi magis, an
 transuersim frangere secando? Expertus decernat. Propterea,
 si quis odio misericordiam hominum mouet sapientiorum: idem,
 per disciplinam magis proficuum, virtutum omnium deliciis imbu-
 tus, animi constantia laudabili aduersarius vitiis strenuus oppu-
 gnauerit. Si quis in nimiam erga sua vitia aliorumque indulgen-
 tiam degenerauerit; eundem auctor aptior, teneritate sensuum in-
 nata, malefactorum a peruersitate ipsorum retentum, maleuolis
 commentis exaggeratas errorum ab aliis commissorum narratio-
 nes mitigare, aut pudefactas refellere, eoque Dei hominumque
 amantem se aliosque beare docuisset. Si quis iracundia patien-
 tiam aliorum facile defatigat, is, moderatore prouido, feruorem
 et velocitatem animi rebus summis iisque expedite gerendis assue-
 facere potuisset. Cuius libido hominum taedium honestiorum
 prouocet, eiusdem animus, nisi, per custodiam curiosior nimiam,
 vel per licentiam effrenatam exercitator, euaserit, cereus ad ma-
 trimonii sensus felicissimi et delicias, natura iam dispositus, fingi
 debuisse et praeparari. Homo — indolis rarissimae — qui virginum
 vel

vel aspectu fugari videtur, si, consuetudine frequentiori, sexus
 illius virtutes, honestatem et in moribus erudiendis facultatem
 prorsus singularem cognitas magis reddiderit sibi, castitate de-
 mum inclaruisset insigni. Auari sane, qui statim edocti essent
 aptius, nummos non iniustitia, sed labore pararent, paratos non
 frustra, sed in usum tuerentur honorificum atque cautum. Prodi-
 gi, miseria cito moti aliorum, circumspectiores ex institutione, be-
 nignitate pollerent, et sine quaestus studio vlllo amicis inferirent
 et reipublicae toti. Cruciatibus inuidiae macerati, bona, quae
 in aliis odio habent, cultu magis naturali, imitari et studio, cona-
 tibus, diligentiaque dignioribus assequi didicissent. Quibus nil
 interesse videtur, vtrum aliis ipsi an ipsis alii praeferantur, beni-
 gnus culti, nec opprobriis acerbioribus indurati, aequitatis pla-
 cerent candore. Rixarum amantes, mansuetiores ex doctrina,
 tutores veritatis iustitiaeque adolefcere potuissent. Qui nec men-
 daciis, nec iniuriae, irasci, frigidioris sensus homines, possunt, nisi
 cultu periissent, rebus peruersissimis extricandis et placandis nasci
 videntur. Superbia, si qui risum mouent, moderatiores praestan-
 tissimarum rerum gerendarum studio et dexteritate inclarerent
 viri. Qui plebis in sentinam, austeritatis terrore, exemplorum
 turpitudine, atque consiliorum prauitate, detrusi spernuntur, me-
 diocritati fuerint assuefaciendi mature. Adulatores, disciplina li-
 beraliori, comitatem sibi reddiderint familiarem. Si qui rustici-
 tate displicent, aperti sincerique inter ipsas reprehensiones, ad-
 monitiones et castigationes seueriores, ab ipsis vitiorum seruis fa-
 vore colerentur pietateque non fucatis atque amicitiae singularis
 praestantissima viuerent decora, et auctores virtutis indefessi prae-
 irent. Fraudem, quorum nunc omnes metuunt, exercitatione, rebus
 recte callideque perficiendis, virtutisque illi, per beneficia clandesti-
 na, vtilissimae, hominibus ab errorum procliuitate et voragine,
 consiliorum calliditate secretorum, reuocandis euaserint pares.
 Quibus stupiditas quodammodo nocet, integritatem prudentio-
 rem, excitati et animosiores laude redditi, in proprium aliorum-
 que emolumentum sibi seruauerint; qua, propositarum promif-
 farumque rerum tenacissimi, omnibus fuerint frugis. Fures,
 virtutis cultura eruditi, diuitias aliis subtraherent eo consilio clan-
 culum, quo illis aut prodigis, aut alio modo infelicibus, aut in re-
 rum

rum audacter et minus circumspecte susceptarum calamitatem praeperiemque delapsis, colligant, unde illorum, si in miseriam detrusi esurirent atque egerent, fortunas quodammodo restaurent deperditas. Sicarii, si inter arma adoleuerint, duce perito, ad militarium callerent insidiarum astutiam. Audacia, prudenter dirigendo, experiundo, moderando, fortitudinem gigneret. Nonne enim, putem, ex auaritia in parsimoniam; ex prodigo in beneficium, ex odio in constantiam animi sapientiolem; ex nimia indulgentia in lenitatem; ex iracundia in velocitatem agendi; ex libidine in sensum boni et pulchri teneriorem et matrimonii felicitatem summam; ex misogamo in castum; ex inuidia in alios aequandi studium honestissimum; ex negligentia in aequitatem; ex rixarum amante in veritatis et iustitiae tutorem; ex contentionis ieiunitate in mansuetudinem; ex fastu in honestatis cultum; ex labe huic opposita in mediocritatem; ex adulatione in comitatem; ex rusticitate in sinceritatem, ex fraude in prudentiam et ipsarum virtutum suarum occultationem; ex stupiditate in integritatem; ex furibus ipsis, sicariis, hominibus audacissimis, in patres prodigorum et imprudentiae, milites astutos et fortes, faciliores, per naturam, aditus, quam in virtutes his contrarias omnino, patere? Nam nos virtutem facultate exercere eadem, quae, si deprauatur, vitiorum fructus, radix quasi cultu hoc virulenta, illo salutaris, protrudit, omnes non negant. Nonne lupi rapacitas, demum mansuefacta, in canum artem venatoriam, et ipsorum speluncae suae defendendae truculentia in vigiliatam furum latrando mordendoque depellendorum transit et fidem in tutores?

Vt vero non ex corpore solo conflati, sed animo iuncti sumus diuino: ita vtrorumuis cura religioni putatur nostrae commissa. Quum ergo hic roboris magis et facultatum innatorum vis videtur exercitiis acuenda; amborum vero valor, indoles, incrementum, et his quae noscuntur contraria, magis a parentibus, coelo, partus ipsius, vel, dixerim, conceptionis, discriminibus defluit: annos in educatione vix vnquam esse considerandos, propterea praefertim, quia infantes pueri, pueri iuuenes, et ingenia his contraria, vbique oberrant, putauerim. Forfan in corporis exercitiis haec sola annorum differentia attendenda venit:

*Aetatis vis
in exerci-
tationibus
corporeis
ratio ha-
benda
scholis.*

venit: vbi nempe quaedam flexilitatem membrorum teneris propriam cum aetate prima frustra praeterire disuadent.

Quibus legibus satis facere lusus student commendati?

Quamuis itaque hortulano plantarum cura tradi, non vero tempestatum vicissitudines praedici, aut, quod idem fere est, praecceptori educatio, nec vero omnia, quae futura forsitan sint obstacula, vel adiumenta, nominari possint: ausim tamen, praeccepta quaedam, ab aliis melius quidem tradita, proferre, quo, vtrum recte intellexerim, an in meam partem deprauauerim interpretando, an ludorum meorum leuitate ad eorum obsequium facilitatis vtilitatisque quicquam redundare possit, intelligatur. Subscribo nempe illis, quibus placet:

A naturali Dei cognitione ad reuelatam demum pueros duci;

Igitur: nec quicquam inauditum aut inuisum aut neglectum et sine doctrinae et facilitatis quodam augmento praeterlapsum ipsos, si adoleuerint, debere, vt nouum, offendere stupefactos, atque in naturae et vitae vicissitudines vbique attentos oportere, vel ambulando, doceri;

Lusibus illorum exercitationem vel animi vel corporis vel utrumque disciplinam innecti vtilem semper;

Omnem hominem inde abs teneris agilitati perpetuae, eaeque vtilissimae, assuefaciendum esse;

Ast disciplinam omni modo facilitandam, ne taedio animus deiciatur;

Corpora laboribus cum robore auctis firmari;

Animos nec obrui pluribus vel grauioribus doctrinis, nec innutritum, aut rerum leuitate, languere;

Ordinem rerum discendarum ex doctrinarum et puerorum natura repeti.

Quid corporis exercitatione decente videatur profici posse leniori?

Vt vero naturae roborisque incremento successiue sequitur, quid ex corporis exercitationibus sperari lenioribus debeat, primum, pro meo quidem iudicio, explicabo. Iam enim lectulos inter et fascias cauendum esse putsuerim, ne constrictione membra subneruentur, nec cunarum aut brachiorum motu capita obnubilentur impetuoso nimis. Sed modice extendendo puerorum articuli mobiliores reddantur, et, quo se facilius protendere, mouere, voluere possint, ab vllis ligaturis liberi iaceant. Et, sin regionis et coeli austeritate prohibentur, stragulis durioribus, tenui.

tenuibus, mastrucisque magis vsi, quam plumarum et puluinarium montibus sepeliti, dormiant. Alias enim delicatuli, non homines robusti laborumque patientes ciuitati sacrantur humanae. Puellae vero, quae cunabulis affixae quasi sedent, pedeque iacent incubula festinante atque impatiente sedis, circumeundo solum prospiciant tenellis, ne calcitrando humum delabantur; quae si demum custodes laboribus impediuntur, stragula in solo tabernaculi tutior paretur pueris. Vel, tempestate serena, sub arboris, vbi fieri potest, vmbra dormitent, super culcitram stramentitiam linteis inuoluti et lecti mollioribus. Vt pedum demum augeatur dexteritas, nec habenis nec vehiculis ambulatoriis consuli videtur ipsis bene. Crediderim enim potius, quum vel ancillarum incuria, vel ipsorum mole infantes, his instrumentis, terrae impingantur, non minus, quam more pueros pedibus gestandi decussatim compressis, anguipedes fieri quam plures. Balneis denique ex tepido frigidis, per aestatem et ver bis de die, per hyemem mane saltem, submergi, quantum infantibus, pueris, adolescentulis, viris, senibusque ipsis refectionis et roboris praestet, medicus ad vnguem enumeret, doceat, extricet, non ego tiro; experientia sane non deficiet testis. Agitationes vero et extensiones ad funiculos, oscillationes inquam, tam brachiorum, quam femorum agilitate viribusque augendis profunt, eo magis, quum infantes, loris et retis ambulatoriis destitutos, pedibus iam saepius manibusque vti oporteat, vsuque firmiores acquirant. Verbi causa laqueus ex trabe satis infragili dependeat, vsque vbi manu arripi pusilli possit. Sic enim naturae magis relictus puer, nec prius, quam vires ferrent, pedibus instare coactus, nec nutricis ex lubitu in assamenta, lapides, et cespites trusus pressusque inconsulto, pro roboris modulo et incitamento se erigit, erectusque clavis vellereis manum innectat, quo stare possit secure. Si demum sensim languet et tremitu pedum natura sedem suadet: inde sine vlllo noxae discrimine se sponte cauteque demittet. Quorum conatum prosperitate inuitatus, graduum periculum subibit, cui subleuando idem seruire potest apparatus, ita, vt finis superior funis annulo ad perticam ferream aut ligneam moveatur. Eo enim recta linea, meando, minus deserta nec vacillat nec cadit facile, et aequilibrio statim assuefactus citius in hac

C

dexte-

dexteritate et decore gradationis proficit consueto. Idem vero binis, pro singulis nempe brachiis, laqueis, et contis, aut etiam in horto effici posse vix operae pretium videtur asserere. Validioribus demum pueris etiam longurii conducunt, inter quos manu suffulti dextra atque sinistra, variis viis, procedant. Nil cauendum erit inspectori huius exercitationis, quam ut binis semper fulciatur infans, nec pectore appressus vni, eodem damno, ut inter vehiculi angustias, afficiatur anhelationis. Ambulacris etiam his, praeter aëris liberioris anhelitum, huic aetati maxime amicum, vtilitas iuncta est summa, qua manibus nutricum sani eripiantur prius. Reliqua ad funem et perticas satis nota exercitia quid describam? non saepius quippe admitti putauerim posse. Quibus vero nutritio huc pertinere victusque ratio videtur, medicos adeant satis cognitos, vbi huius rei pertractatio loco inuenienda erit aptiori. Pari ratione cursus, saltatio, iam, quousque fieri potest, infantes exerceat, quo pectoris spiracula liberiora reddantur, et corporis totius habitus ad elegantiam magis componatur. In balneo periculum faciant natandi; in glacie volandi; metas globulo petant; in asseris aequilibrio par parem pendat. „Quid?“, Ausim expertus defendere his omnibus fructum ad reliquam vitam non esse denegandum vberimum. Pila non parum visus constantiae et virium aequali modulo dirigendarum velocitati affert alacritatis. Aucupio, piscatura non exigua docendi et ingenia fingendi occasio praebetur; quibus si addideris florum, herbarum, arborumque culturam, nec aestate nec hyeme disciplinae et laborum variatione carebis.

*Fortiori-
bus.*

Luctae vero, pugillatus, ponderum e minoribus maiorum deinde gestationis, tornandi, aliorumque opificiorum, in educatione emolumenta, de quibus apud omnes satis constat, hic vberius commendari, quis expectet? Aut scandendi, salitionis et equitationis necessitatem defendi? Sint enim corporis exercendo roborandi, sint membrorum agiliorum, sint ad futuram vitam praeparationis, sint animi, ut oportet, exhilarandi, consilium, viae, occasiones, atque adiumenta, quae praesto esse cupiamus, ea cuncta, singulaque inueniemus exercitationibus illis imbecillorum, hisque robustiorum et aetate prouectiorum iuncta. Adspectu porro hominum, qui harum artium expertes aut misere pereunt,
aut

aut inter discrimina ambigunt varia, ex hac sola ruditate derianda, monemur quotidie, ne haec disciplina spernatur.

Inter nutricum, parentumque quorundam, et seruorum rusticitatem adultos sepius dolui! Quantum laboris taediosissimi et difficillimi, ad morum deprauationem reformandam, requiritur! Homini eiusmodi saepius, ad consuetudinem honestiorum, commendari cupit, vocis, gestuum, linguae, morumque elegantia, et decus, nil, dixerim, nisi cuncta desunt, decori ornamenta. Eundem vero, quis neget, cautiore cultu consuetudineque, per morum elegantiorum exempla, quae imitari vel sequi poterit, optima tironibus exhibita, formari debuisse? Id vero quam facillimum factum est, priusquam imitandi illud studium tenellis praesertim proprium aetate debilitetur, ad mammas, inquam, et gremium matris, brachiaque patris et amborum blanditias. Nullibi enim, quam in ipsis eiusmodi colloquiis, verborum rite pronunciandorum, seligendorum, rerum accurate, apte et ornate describendarum, atque nugarum vitandarum, cura, diligentia, ac religione opus est maiori. Auribus noua quaeque tenerrimis infinguntur quasi: quae, cum nemo facile ignoret, cur tot rusticitatis et errorum dedecora adeo lubenter puerorum sensibus inurerentur, quae, in infantibus derisa applausu, mihi semper, tristissimo, pueros verberibus, diris, et conuiciis exponerent iniustissimis, miratus diu sum. „Iniustissimis?“, Non recantare conor. Non solum euitari, sed, eodem tempore eademque felicitate, doceri potuerint, quae non in solo infante, sed in puero, adolescente, viro, seneque placerent bono cuiusuis et gentis humanae fautori. Vsu enim solo, linguarum simul nonnullarum assuescere potuerint venustati. Anne difficile adeo ab omnibusque desperatum videtur conamen, quo pater latinam, mater vernaculam, vel peregrinam quandam colloquiis admittit, aetatem, ingenium et conditionem pueri reliquam non superantibus? Mater nempe nostras, et anglica, gallicam, aut italam, gallica et itala germanicam, solam auribus et animis inculcet. Sic ab omni difficultate pronunciatus defensi ad leges demum grammaticas excoli legendo et scribendo possent. His vero auris et loquelae exercitationibus musicam optimam semper et cantus veram disciplinam debere abesse, quis vel in somnio harriolaretur? Oculus ad picturarum

*Sensui boni
et pulcri
iam a tene-
ris assue-
scant in-
fantes.*

et effigierum elegantiam acuetur, et naturae prouentibus contemplatis, floribus, dicam, animalibus, lapidibus, et prospectibus pulcris.

*Quantum
scripturae
sacrae le-
ctione pos-
sunt pueri
erudiri?*

Prima vero omnium, quae animis moribusque emendandis prodesse putentur, est beneficiorum, quibus dies abundant singuli, diuinorum grata sensatio et recordatio. Quid vero hac magis naturae legibus humanae et pectori cuiusuis inditum est? Sequimini matres eum animi gratissimi impulsu, quo somno expectos amplectimini amoris pignora. Dicatis, quae se sponte cordi auferunt, preces, sequaces lallabunt infantes gaudiaque lacrimabunt. Quid dulcius Deo, hoc esse spectaculo, quid vobis grauius videri potest, quo creaturae sensus in creatorem excitaveritis sincerissimos? Sic laudes Deo personabunt gratiaeque cunabulis, ambulacris, hortis, pratis, domibusque, per homines nullo numinis summi dono a primis iam sensibus non moueri solitos. Deinde experiantur praeceptores, quid de rebus visis, auditis, lectisque cogitent ipsi pueri. Crediderim vero, scripturae sacrae intellectum puerili non congruere imbecillitati, propterea studendum esse, ut antea morum et fidei praecepta naturalia doceantur. Quibus bene et assidue memoriae cordique traditis, codicis sacri doctrinae faciliores, pro praemio quasi, obedientiae, pietatis et amicitiae infantilis, concedantur addiscendae. Et, si quaedam, rebus maioribus bene gestis, ornamenta sunt decernenda, sumantur ex doctrinis illis difficilioribus, per pueros seniores iunioribus, enarratis. Ad tenellorum enim infantiam pueri se posse facilius demittere, mihi quidem, videntur, quam ipsi senes, et magistri, quorum sane his puero- rum scholis regimen deesse minime debet. Inspiciant potius, ne quid falsi aut inepti doceantur iuniores. Sensim ad obscuriores et altioris indaginis doctrinas adducantur, examinibus, colloquiisque vel habendis vel audiendis atque orationibus exercitati.

*Quomodo
lusu formantur in-
genia?*

Aleam et alios eiusmodi lusus ingeniosos ad prudentiam, sapientiamque egregie fingere animos, compositosque acuire et confirmare, nullus nego, quin potius laudibus extolli posse nimis vix suspicer. Ast ipsius scripturae elementa innumeras praebent memoriae iudicii simul docendi et perficiendi occasiones

et

et vias. Ponamus literas praescribi pingendas. A. b. c. r., quas ad taedium vsque decem dein lineis scribere liberos cogendi mos est. Nonneminus torpebit studium, si gaudium, vocabula ex iis componenda inueniendi, puero conceditur? „Aber!“, statim exclamabit; „Nabe“, alteram superbibit creasse quasi vocem. Sic maiori cum assiduitate, pro vi exercenda ingenii, res illas fastidio terrentes addiscet. Quot enim verba saepius quatuor memoriae traduntur vel quinque litterularum auxilio? e. g.

A. p. é. r. *aper. ἀπερ. rape. pare. pera. πέρα. περε. prae.*
 S. p. e. r. a. *spera. peras. πέρας. persa. pares. après. repas. asper.*
 S. p. e. r. o. *spero. sopra. serpo. repos. ὄσπερ. (ὡσπερ.) per os.*
 P. a. t. e. r. *pater. πάτερ. πατέρ. parte. parct. petra. repat.*
 O. r. e. *ore. ero. reo. ἔω. ἔοε.*
 G. ú. t. e. *Güte. túge.*
 Γελῆ. λῆγε. λέγη.
 A. l. t. e. *alte. Alte. alet. late. tale. tela.*
 H. a. r. f. e. *Harfe. fahre.*
 V. e. r. a. *vera. erua.*
 P. a. r. c. e. *parce. perca. caper. carpe. crepa.*
Panis. spina.
Amor. mora. roma. ramo.
Sonus. νόσους. νοῦσος.
Sono. νόσω.

Sufficiant haec ex innumeris aliis, quae possim afferre, ne re nonnullis ieiuna displiceam. Vel verba articulatum scribantur ita:

e. c. ad occasionem *ἄξῃς, axis*
 B — *ἄξις, sermo.*
 Bῆ — — *fama.*
 Πῆ — — *actio.*
 T — — *ordinatio.*
 Λ — — *diuisio.*

vel ad sonus similitudinem

Λεῖμμα, reliquiae.
Λῆμα, fortitudo.
Λῦμα, sordes.
Λήμη, oculi lippentes, oculorum sordes.

Λύμη, lues, exitium.
 Λιμὴν, portus.
 Λιμὼν, pratum.
 Λιμὸς, fames.
 Λοιμὸς, pestis.
 Λαιμὸς, gula.
 Βάω, obsolet. vado.
 Πάω, adipiscor. vescor.
 Φάω, dico.
 Ψάω, tergo, rado.
 Θάω, specio.
 Τάω, capio. etc.

Et vocabularia talia studio exiguo atque labore componenda iucundo et in scripturae exercitium nonnunquam depingenda memoriam egregie adiuuant. Nec minoris essent aestimanda, quibus colligantur nomina, quorum sonus aut forma variis linguis vnus valor vero diuersus reperitur; v. c.

Abel. nomen viri apud *Hebraeos.* *Belgis:* lepidus.

Aba. mons et flumen *Armeniae.* *Graec.* rota. clamor.

Aller. *Germ.* omnium, et, vt *Belg.* nota aut affixum superlatiui. *Gall.* ire.

Auge. *Latin.* mater *Telephi,* et imperat. ab *augeo.* *Ital.* culmen. *Gall.* trulla. *Germ.* oculus. etc.

Vel quorum nec forma nec sonus nec valor differunt, in linguis similibus; exempli causa:

Belgis et Germanis.

Aal, Ader, Alle, Als, Angel, Anker, bang, Darm, die, etc.

Latinis et Italis.

Aberrare, docere, abstergere, impedire, iustitia.

Vel, quae, forma paullulum mutata, idem valent;

<i>Latinis</i>	<i>Italis</i>	<i>Hispanis</i>
iustitia	giustizia	justicia
Ecclesia	Ecclesia	iglesia
ciuitas	città	civdad
vicinos	vicini	vecinos
magistros	maestri	maestros

Locus

Locus igitur spatiumque deesset, et lectorum patientia, viis omnibus ac singulis horum ludorum variandorum amplius demonstrandis. Tantum enim abest, ut his paucis exemplis rem erui omnem credam, ut illis solum mentem illustrare tentauerim meam, tempori futuro eorum pleniorum reseruatorum tractatum. Possit vero, vel ex nostra lingua, saepius aliarum discendarum locus depromi ex. c. graecae, latinae, italicae, gallicae, belgicae, anglicae,

Ger.	Graec.	lat.	ital.	Gal.	Belg. ;	Angl.
Weichen	ἀκείν	cedere.	ritirarsi	se retirer	vertrekken	to yield
Wein	οἶνος	vinum	vino	vin	Wyn	Wine
Affer	ἀγρός	ager	campo	camp	akker	Acre
Feuer	πῦρ	ignis	fuoco	feu	vier, vyer vuur	Fire

Quibus si adieceris Suedicam Danicamque, linguas, differentiarum et similitudinum conspectu dociles, pueros facile ad priuatum scrutamen verborum, iudicio et ipsi sapientiae utilissimum, excitabis.

Forfan etiam non omni carebit utilitate, si, deriuationis exemplo prolato vno, colligere tirones iuberes, quomodo alias forment ex aliis linguis, linguae voces. v. c. Itali ex Latinorum pl. fl. pi. fi. dicunt, ut plus, piu. Quomodo mutant placere; plaga; pluuius; flaccidus; flamma; foccus; flumen? piacere. piaga. piouoso. fiacco. fiamma. fiocco. fiume. Porro Belgis nostrum T et Th, ut plurimum fit D. verb. c. Tag, Dag; Quid: Tach; Thal; Tanz; Thau; Treiben? Dak. Dal. Dans. Dauw. Dryven. Conduceret praeterea nonnunquam, voces proponere ex radicali littera comparatas: sic

ST omnibus fere linguis cognitis nobis firmitatem eiusque signa vel effectus indicat.

STō. flo. ital. et lat. Stehe. Staan. Bel. etc.

'ΑΣΤῆρ, stella — — Stern. Star. — —

ΣΤέμωμα lat. et gr. Stah. Staal. — —

eaedem litterae linguali R. iunctae firmitatem ex actione vel cum actione quadam denotant. e. g.

ΣΤροφός, prostratus, prostrato, prosternè, gestrefft, etc.

ΣΤρετεύειν Streiten. Strijden. Stride, Dan, etc.

ΣΤριφός. strigosus. Struppig, etc.

BL.

BL. PL. FL. *ubique fere sigillum quasi rerum cum celeritate quadam motarum inuenitur.*

ΒΛύζω. fluo. *Glicfen. vlieten. etc.*

Φλάρατος. blatero. *Plauderer. etc.*

Πλέζω. plecto. *Flechte. etc.*

GL. CHL. GL. KL. *plerisque verbis inest, qui motum exprimunt in plano inclinato, vel lubrico, aut ipsa loca talia, aut res lubricas, cum effectibus et signis.*

GLACIES. *Giaccio. Glace. etc.*

Glas. Glat. Gleiten, Glas, Glad, Glyden. Belg. Gliffer. Gall. etc.

Γλία. *Gluten. etc.*

Χλοδή. *flacciditas. etc.*

Κλίσις. *inclinatio. etc.*

Si dein pueri iudicando profecerint, potest etiam ostendi, quomodo variae linguae varias voces atque rerum nomina finxerint diversa. Quod adscribendum potissimum videtur

A) *Vel variae rationi, qua sensus hominum res denominandae mouerint. e. c.*

Κλίμαξ. *Scala. Treppe. Trap.*

Graeci ex decliuitate; Latini, teste sigillo Sc. quod cavitatem depingit, ab excauationibus, vbi pes inferitur, nostrates et Belgae a via, qua ducit circulari, ob Tr eiusmodi motus indicem, videntur dixisse

Βήμα. *Gradus. Stufe,*

Nostrates a firmitate fulcri, quod praebet, per verba Steif, Steifen; Gr. si literae B credendum est, ex motu solo, Lat. ob nisum in anteriora fortiorem, ita nominasse sunt putandi; quippe cum G eundem, et cum litera R vnitum, solummodo impetuosiores significet. Exemplo sint: Aga. Turc. Ago. Αγω. jagen. "Αγω. Gressus. Greifen. Porro Graec. κρησΤαλλον a duritie, Lat. a lubrica indole: glaciem; Nostrates Steil. Steif. Lat. praecipit, rigidus; Graec. Πρηγής, Κρηγός, a firmitate, a ruptura vel excauatione ab anteriori parte, quod radicales PR iunctae CPS confirmant, a nisū et vi obuersim agendi, testibus R. G., atque a PRonitate ad inferiora (πρ) et effectu rigiditatis τοῦ Crispi (KP.) formarunt.

B) *Vel*

B) *Vel versionum studio.* e. g.

(Ρωμῆ) Roma, Valentia,
respondere, entsprechen.
negare, verneinen.
ἑνθωγ, orator. etc.

Ex quibus quidem utilitatem, quanta ingenio, memoriae, iudicio acuendis, augendis, dirigendis profit, luculenter patere spero. Iungi enim his omnibus posse historiam, picturas, scripturas, tesseras et chartas literis linguarum variarum insignitas, quo subleventur, exerceantur, atque illustrentur artes, rei natura non minus, quam puerorum in omnia curiosus animus, suadent atque praecipiant ipsa. Genium vero, quem dicunt, linguarum eo luculentissime tradi posse, quo, ex natura ipsorum verborum et loquelae organo illarum regulae perantur. Et si enim derivationes tales non omnes ab opinionum fallacia defendi debent, in disciplina tamen usu apparent certissimo. Maxime vero optandum esset, grammaticas componi generales et speciales, quarum haec idiotismorum, illae legum omnibus vel plurimis communium reddant rationem. Nam tres vel quatuor linguae simul facile possent disci; eoque poena taedii, quod tot regularum in singulis grammaticis repetitione oritur, praecaveretur, linguarum studio omnibus necessario semper infesta. Quanta enim latinae, italicae, hispanicae, gallicae, verborum similitudo, regularum convenientia? Nec non Belgicae, Suedicae, Danicae, Germanicae, Anglicae? et, inter antiquas, graecae atque latinae? — Versiones etiam nonnullarum linguarum comparatae commodo placere manifesto videntur.

Similes primum nempe ita fere scribantur:

Germ.	Danic.
<p>Das heißt ein rechtschaffen Christliches Leben, das nimmermehr in Ruhe steht, und ist nicht also gethan, daß man keine Sünde soll fühlen, sondern, daß man sie wohlfühle, aber nur nicht drein verwillige. Da soll man fasten, beten, und arbeiten, daß man die Lust dämpfe und unterdrücke (Begierden.)</p>	<p>Det heber et retskaffen Christeligt Levnet, som aldrig bestaner i Ro og (auch) ikke saaledes tilbragt (zugesbracht), at man ikke skulde sole til nogen Synd, men at man vel skulde den, men at man ikke vilgede deri. Da skal man faste, bede og arbeide, at man dämppe og underdrücke Lysten, og Begierligheden.</p>
D	Sic

Sic enim differentia per exigua lineolis rubris aut literis maioribus indicata oculos non effugiet puerorum.

Quae constructione differunt, earum exempla numeris distingui poterunt; ita forsitan:

1	2	3	4	5	3	2	4	1	5	6	2	4	
καλὸς δὲ λίθος καὶ ὁ Ἄ-				Lapis etiam pulcher				The Agate also (is an)					
6	7	8	9	10	5	6	7	15	8	11	6	3	7
χάτης, (ὁ ἀπὸ τοῦ) Ἄχα-				Achates, (dictus) a flu-				elegant Stone; it (has					
11	12	13	14	12	9	10	13	14	8 9				
τη ποταμοῦ τῆ ἐν Σικελίᾳ				mine Achate in Sicilia,				its Name) from the					
15	16	17			16	17		11.12	9.10	13	14		
καὶ πωλεῖται τίμιος.				venditur quam pluri-				River Achate in Sicily;					
				mo.				15	16	17			
								and (is sold) at a great					
								Price.					

Quum igitur, quod his adderem, nihil habui; obiectionibus quibusdam perpensis, finem, ut lectorum spei satisfacerem, imponere statui libello. Quis enim scriptorum in omnibus linguis optimorum, veterum atque recentiorum, lectionem laudum mearum egere concederet iustus? Cui versionum ex lingua in aliam alia, si recte instituerentur, prae imitationibus atque elaborationum ieiunitate commendatio putatur noua? Nonne, ubicunque educatio quodammodo curae cordique est, historia, quae dicitur pragmatica, mathesis, animis ad artes et vitae beatitudinem fingendis admittuntur? Adolescentulos, quo minus morum erudiendorum, sermonis gestuumque elegantiae excolendae, et animi exhilarandi in auxilium, ludos scenicos audiendos vel agendos adeant, cuius, nostra aetate, religio impedit? Foeminarum honestissimarum, honesto cui iuueni denegatur consuetudo, qua certe ad omnis hominis mentem, animumque informandum, emendandum, dirigendum mitigandumque efficacius quid debeam efferre laudum praeconiis, sane ignoro? Et summam, ut addam, virorum praestantissimorum consilia, studia atque curae in adolescentibus doctrinae, disciplinae, colloquiorum, et quotidianae, si fieri potest, conversationis suavitate atque utilitate augendis et nutriendis videntur certare. Vobis igitur, gentis humanae patronis, gratias, quas persoluendi voluntas minime, facultas vero deest, numen aeterna compenset felicitate — has preces, pietatis et virtutis studio

dio iunctas, humanae naturae conditor solas concessit nobis. Nobis, inquam, commilitones, nobis de saeculo, quo nati sumus, de praeceptoribus et disciplinae formulis excellentissimis gratulemur, nobis, quibus, Deo fauente, haec omnia contingere felicissimis! Gratulemur nobis!

„*Diuagari animus ingeniumque lusibus hisce tuis docetur.*„
 Quod minime voluerim. Nil suasi praeterea, quam indole puerorum vti vaga; nec somnolentos turbari rerum varietate, nec viuaciores in circulos arceri illis arctiores ausim iubere. Nec iussi vnquam, nec tam disciplinam aliis praescripsi, quam vt mihi ab sapientibus atque artis peritis huius rei institutionem expeterem.

„*Non omnia possumus omnes.*„ Nec vnquam contradicam. Sed, homines singulos vni tantum rei agenda, per omnem vitam, destinatos credere, coecitas mea me nunquam sustinuit. Rationi igitur discendi quam plurima eique facillime studere suasi inueniendae; a me eandem vero inuentam esse sanus nunquam putauit.

„*Licentiae nimiae traduntur tirones.*„ Vbi hoc, his meis lusibus, et ratione, cui subscripsi effici possit? non satis sentio. Mores contra seruiles enim, plurimi ante me dixere doctissimi viri. Et, si, quae sentiam dicendi, venia conceditur tiro- ni, plures vereor, ex disciplinae morositate et rigore euasisse, postquam sibi fuerint relictis, aleatores, libidinosos hominesque alio modo miserrimos, quam educationis naturae puerorum et studiorum magis accomodatae, liberaliorem dixerim, lenitate facilitateque iusta.

Nec, vbi illos ab otio, virtutis et ingenii omnis hoste deterrimo cautione summa defendi, ludendoque laborum patientiores doctrinaeque appetentiores fieri, videntur mihi debere, eosdem lusui magis quam rebus altioris indaginis idoneos gerendis reddi, volui. Aut, vbi prouida moderatione et exercitatione iunctam ad varia pericula euitanda aut superanda praeparationem non dissuadendi religio visa est, in varia discrimina praecipites dari non abhorratus sum? Dolerem me, forsitan propria culpa, male esse intellectum.

„*Muliebres et libidinosi prodibunt hac lege.*„ Omnes? For-
 tan ii, qui iam educationis aut ipsorum negligentia a castitate

diu nimis defecerint? Sed vtrum hi virginum castissimarum castigaciones, satyras, reprehensiones adeo appetant, an illarum taedio, quod exacerbant, ipsorumque pudore et seruili ingenio retenti non satis prohibeantur, vt opus sit, illas ab his, hosque ab illis defendi? — quotidiana experientia diiudicet.

Quum vero animum ad res diuinas intelligendas religione, quam dicunt, naturali optime praeparatur: eiusdem commendatione me vitii quicquam commisisse vix suspicari ausim.

Me vero nil noui dixisse, nouum mihi non est: nec dicere voluisse, lubentissime fateor. Ad preces vero prouoco, superius legendas, quibus Virorum doctissimorum, Praeceptorum, omni pietate deuenerandorum, indulgentiam, atque reprehensiones docilis, in re grauissima, tironi non denegari mihi, rogavi, oravi, flagraui. Concedatis quaeso! Valete! Fauete!

SUPPLEMENTA QVAEDAM.

- I. *In educatione vitiorum vel nomina quam diutissime hominibus ignota maneant.*
- II. *Personas in scena agant, quo sensibus virtutum imbuantur praestantissimarum, liberi non fucatas easque optimas.*
- III. *Tenellorum conspectus ira in homines, omnique animi commotione minus humana, sanctior putetur.*
- IV. *Nec sine experientia doctrina vera, nec contrarium cogitari potest: vana igitur videtur, de vnius aut alterius praestantia, disceptatio medicorum.*
- V. *Opinionum inter Theologos discrepantia veritati plus prodesse, quam nocere debet.*
- VI. *Terminorum, in quacunque doctrina, vaniloquiis tirones absterruntur.*
- VII. *Doctrinis sacris et profanis rite aestimandis et intelligendis imaginum inuolucra maxime semper obfuere.*

